

nac. Laym. Coninch. Castropal., etc qui dicunt. quod si quis delectatur de copula conjugatæ, non ut conjugatæ, sed tantum ut pulchræ, non committit adulterium, siquidem adulterii circumstantia non intrat in delectationem, prout intrat in desiderium, et in complacentiam, quæ (ut dictum est) totam objectum, ut in se est, exhauriunt, nec possunt præscindere ab illius circumstantia. Hæc opinio speculative loquendo est valde probabilis, sed in praxi dico cum Holzman, sine dubio esse explicandas in delectatione omnes objecti circumstantias, quia in illa adest periculum proximum desiderii pravi peccandi cum hujusmodi persona (1).

49. Notandum 2. aliam esse delectationem de malo, cum opus malum est objectum delectationis: et hæc delectatio sine dubio est graviter peccaminosa, si opus est culpa gravis. Aliam esse delectationem de cogitatione operis mali, cum non delectatur de opere malo, sed tantum de cogitatione illius: v. g. aliquis legit materias turpes, et non delectatur de illis, sed tantum de illarum lectione. Hæc delectatio etiam potest esse gravis, cum adest proximum periculum consensus: sed cum non adest tale periculum, erit tantum venialiter mala; imo omni culpa carebit, cum justam habet causam legendi, aut cogitandi de hujusmodi materiis, causa v. g. studendi, medendi aut confessiones auscultandi, etc. Ita s. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8. et s. Anton. Sanch. Less. Bonac. Salm. alique communiter (2).

50. Quæritur 1. An peccet graviter, qui concupiscit objectum graviter malum, sed sub conditione si esset licitum? in rebus prohibitis lege positiva, certo negandum. Dubium restat in prohibitis lege naturali. Et tunc ita distinguendum: si conditio abstrahit totam malitiam peccati, v. g. si quis diceret, si Deus mihi permitteret, vellem equum Titii mihi

(1) Lib. 5. n. 15. in fine. — (2) n. 17.

accipere, hic non peccaret, vel saltem non graviter: secus autem si conditio non aufert malitiam, v. g. peccarem si non adesset infernus; occiderem si non essem sacerdos, et hujusmodi alia. Et idem rationabiliter dicunt Sanch. Laym. Azor de eo, qui diceret: si non esset peccatum ulciscerer, blasphemarem, etc. nam cum hæc sint intrinsece mala, nunquam abstrahi possunt a sua malitia. Quamvis probabiliter dicant Sanch. Bonac. Castropal. Vasq. Sa, Valent. et Salm. cum Cajet. et aliis, quod cum quis cupit aliquid malum, nunquam concupiscit malum revera, sed tantum ostendit inclinationem ad illud, quod ad mortalem non attingit. Qui vero optaret absolute, ne esset prohibitum, quod est intrinsece malum, non potest excusari a mortali, dum ex se malum est velle invertere ordinem et legem naturæ, ut recte dicunt Salm. (3).

51. Quæritur 2. An sponsus possit delectari de congressu cum sponsa sub conditione, si esset sibi uxor, aut cogitando ad tempus, quo erit uxor? Alii absolute admittunt: alii admittunt, modo delectatio sit de solæ appetitus sensitivi, nimirum sine spiritu commotione. Sed nos cum Sanchez. Suar. Layman, Azor. Salmant. Holzman, Roncaglia, Croix etc. dicimus, neutrum esse admittendum, quia delectatio facit objectum sibi præsens, et cum sic tunc præsens objectum a conditione coherente præcisum, tunc objectum certe est malum, et quamvis consensus sit conditionatus erga objectum, est tamen absolutus erga delectationem (4). Aliud est tamen, ait Roncaglia, si sponsus desiderat simpliciter copulam futuram cum sponsa quando sibi erit uxor: quia tunc optat rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Sed hoc non obstante ego subjungo, quod per hujusmodi

(3) L. 5. n. 13. v. Quær. — (4) n. 14 et 24.

desideria, cum quis moratur in iis cogitationibus, magnum subest periculum delectationis præsentis; ideoque debet confessarius omnino prohibere ne sponsi in hujusmodi desideriis morentur. Contra valde probabile est, per se non esse mortale se delectare de copula habita, vel habenda cum sua uxore absente (quid quid dicant Salmant. et Roncaglia, qui affirmant, si delectatio habeatur cum commotione spirituum), dum semper ac periculum pollutionis abest, matrimonium ipsum licitum reddit tactus impudicos inter conjuges (qui sine dubio nequeunt esse sine commotione aut saltem sine proximo periculo commissionis, et tamen eos ipsi Salmanticensis et Roncaglia non damnant de mortali), ita reddit per se licitam ipsam delectationem copulæ; hujus sententiæ sunt s. Anton. Cajet. Coninch. Vasq. et Croix cum Suar. Gers. Laym. etc. (1), et expresse eam docet etiam s. Thomas (2).

52. Quæritur 3. An liceat oblectari de aliquo opere intrinsece malo quod accidit ob bonum effectum inde secutum? Distinguendum: si opus est formaliter malum, nempe cum peccato patratum, pro certo est apud omnes non licere delectari de illo. Si autem accidit sine peccato, non desunt qui admittunt posse delectari de illo, uti de causa boni effectus; nos vero cum Sanchez, Laym. Croix, Salmant. Roncaglia, etc. dicimus talem delectationem semper esse illicitam: quia licet opus non fuerit peccaminosum, nihilominus semper fuit objective malum. Et hoc videtur non posse amplius revocari in dubium post proposit. 15. damnatam ab Innoc. XI. quæ dicebat: *Licitum est filio gaudere de paricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas*. Nec obstat quod dicit s. Thomas (3). *Si autem placet* (nempe

(1) Lib. 5. n. 25. — (2) qu. 15. de malo ad. 17. — (3) In 4. dist. 9. q. a. 4. q. 4. ad 5.

nocturna pollutio) *ut natura exoneratio peccatum non creditur*. Dum hoc intelligendum de pollutione pure naturali, quæ provenit a natura se exonerante, ideoque cum non sit objective mala, licet delectari de exoneratione ob eam obtenta. Contra (per se loquendo) licet delectari non de causa peccaminosa; sed de effectu inde secuto ut de exoneratione ob pollutionem habita aut de acquisitione hæreditatis orta ex homicidio. Dictum est *per se loquendo*, quia etiam delectatio solius effectus, ut dicunt Salm. et Ronc., non caret aliquo periculo (4).

53. Quæritur 4. An licitum sit delectari, aut optare damnum proximo propter aliquem bonum finem? Prænotandæ hic sunt duæ propositiones damnatæ ab Innoc. XI. nempe 13. quæ dicebat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristani, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*. Et prop. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*. Hæ fuerunt merito damnatæ, quia secundum ordinem charitatis vitæ proximi præferenda est cuicumque nostro temporali emolumento honorum, aut honorum. Contra licet gaudere, et cupere damnum temporale proximi, ob bonum commune aut innocentis, aut proximi: ita docent Toletus, Nav. Bonac. Salm. Ronc., etc. cum s. Thoma (5), qui sic loquitur. *Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere, in quantum est impedimentum malorum alterius, vel communitatis, vel Ecclesiæ*. Item scribit s. Gregorius: *Evenire plerumque potest, ut non amissa charitate, et inimici nostri rui-*

(4) Lib. 5. n. 20. — (5) In 3. Sent. dist. 30. q. 4. a. 4. ad 4.

na lætificet, et rursusejus gloria sine invidie culpa contristet; cum et, ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo, plerosque injuste opprimi formidamus. Mor. lib. 22. c. 22. Quare licet (semper tamen servato ordine charitatis) optare aut sibi complacere de infirmitate aut morte impii, ad exemplum aliorum, et ut cesset ille a præbendis scandalis, aut ruinæ esse alio modo animabus. Ita etiam gaudere licet de damno temporali privati ad vitandum damnum commune. Ita etiam dicunt Salmanticenses, et Roncaglia, posse patrem cupere mortem filio, si juste timet ne ille dedecori futurus esset familiæ (1). Ita etiam Sotus, Castrop. Turlenh. Granad. Viva, Felix Pótestas (contra Nav. Salmant., etc.) permittunt sibi posse mortem optare, si minus duram putaret esse sibi mortem quam vitam adeo molestam ob infirmitatem, paupertatem, aut aliam molestiam, qua afficitur. Et hoc mihi non videtur improbable; ut contra videtur improbable mihi cum Roncaglia, et Salmant. opinio Azorii, et Bonac. licitum esse matri mortem filiae optare, quia eam in matrimonium collocare nequit ob ejus deformitatem aut paupertatem familiæ, aut quia ipsa mater vexatur a viro illius causa (2).

54. Oblectari autem de rebus solum a lege positiva vetitis, uti est in diebus jejunii oblectari de carnibus, etc. hoc semper licitum est, aut saltem non est culpa gravis. Sed contra, ei qui ex inadvertentia in die jejunii carnem comedit, non licet de hoc delectari (3).

PUNCTUM III.

DE PECCATORUM DISTINCTIONE I. QUOAD SPECIEM, 2. QUOAD NUMERUM.

55. et 56. De distinctione specifica.

57. De numerica et de I, radice a multiplicitate actuum.

58. ad 61. Circa actus internos.

62. et 63. Circa actus externos.

(1) L. 5. n. 21. v. Licitum. — (2) n. 22. — (3) n. 27.

64. et 65. De II. radice a diversitate objectorum totalium.

55. Et I. Quoad speciem quaeritur primo a doctoribus a quibus radicibus desumenda sit distinctio specifica peccatorum? s. Thomas docet desumendam ab objectis vitiosis specie diversis: Scotus contra ab oppositione ad diversas virtutes, quibus opponuntur peccata. Utraque sententia est probabilis: secunda tamen, ut fatetur etiam Tapia Thomista, est facilius ad distinguendas species peccatorum. Quare dicimus distinctionem specierum desumi a duabus radicibus, prima ab oppositione ad diversas virtutes, ut dictum est. Sed quia aliqua peccata opponuntur eadem virtuti, ut blasphemia et perjurium, ambo opponuntur religioni, ideo dicimus secundam radicem desumendam a diversa deformitate eadem virtuti opposita. Hoc tamen valet, ut distinguantur peccata commissionis; peccata enim omissionis quoad speciem distinguuntur tantummodo ab objectis, quæ omittuntur, v. g. omisio Sacri et jejunii ambo adversantur Ecclesiæ obedientiæ, et in tantum sunt diversæ speciei, in quantum Sacrum et jejunium sunt objecta diversæ speciei (4).

56. Quaeritur secundo, an peccatum ex objecto leve possit propter aliquam circumstantiam devenire ad gravitatem speciei superioris? Vasq. et Durandus negant; sed affirmat sententia communis quam tenent Suar. Castrop. Salmant. et alii cum s. Thoma (5), cum non accidat physice, sed moraliter. Quare ait s. Doctor (6) esse graviolem bestialitatem perjurio (7). Et ideo regula prædicta metiendi gravitatem peccati ex expositione ad superiorem virtutem currit tantum, quando peccata sunt maxima adversus aliquam virtutem, non autem cum comparatur maximum peccatum ad-

(4) Lib. 5. n. 30. 31. et 32. — (5) 2. 2. qu. 10. a. 3. ad 4. — (6) 2. 2. q. 154. a. 42. — (7) Lib. 5. n. 34.

versans uni virtuti cum minimo adversante alii virtuti (1).

57. II. Quoad numericam distinctionem, dicimus pariter ex duabus radicibus desumendam, 1. Ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum. 2. Ex diversitate objectorum totalium (De hac secunda dubitant DD., sed nos juxta nostram sententiam, de qua in fine hujus puncti num. 64. agemus). Et loquendo de prima radice, ut dignoscatur quando actus voluntatis moraliter interruptantur, plures oportet facere distinctiones.

58. Primo oportet distinguere actus internos ab externis. Et quoad internos, distinguendum, cum hi possint esse aut circa peccata interna (cordis dicta) quæ interiorius consummantur, ut sunt odium, hæresis, prava desideria, delectatio morosa, et hujusmodi: aut circa peccata externa (oris et operis dicta) quæ externe perficiuntur, ut sunt blasphemias, furta, etc. Hoc posito dicimus actus internos circa peccata cordis, odia, desideria, etc. statim ac multiplicantur, interruptuntur; itaque tot sunt peccata, quot sunt actus consensus voluntatis: ut communiter uar. Azor. Vasq. Castrop. Bonac. Salm. Tourn. Conc. et alii contra Canum, et Lugo, qui tenent per somnum, aut per distractiones non interrupti, sed solum per contrariam voluntatem. Sed hæc opinio non est mihi satis probabilis; unde dico teneri penitentem ad explicandum, si potest, numerum actuum interiorum, quibus præstitit consensus; si non potest, saltem tempus in quo in tali pravo animo perseveravit, explicando saltem in genere, si eæ interruptiones (præter ordinarias somni, etc.) fuerint raræ, an frequentes. Si enim prædicti actus procederent ab uno, et eodem impetu passionis, dicunt Lugo, Viva et Tamb. (et id videtur probabiliter) tunc eos, quamvis intercederet aliquod intervallum, sed bre-

(1) Lib. 5. n. 34

ve, constituere unum peccatum (1).

59. Quoad actus internos circa peccata externa oris et operis, ut detractionis, homicidii, etc. hæc bifariam moraliter interruptuntur: 1. voluntatis retractione; 2. voluntaria cessatione, nempe si voluntarie a pravo proposito cessat; nam si post cessationem voluntariam a proposito iterum illud reassumit, tunc novum committit peccatum (2).

60. Certum igitur est apud omnes tam per retractionem, quam per voluntariam cessationem interrupti actus internos circa peccata externa. Sed quæstio est, an per ordinarias interruptiones interruptatur pravum propositum circa peccata externa. Alii affirmant, ut Vasq. Henno et Diana, et hæc opinio est satis probabilis. Sed probabilior est altera Salmanticensium, Vivæ, Roncag. et Concina; quod si perseveret propositum per breve tempus, actus replicati non interruptantur; interruptuntur autem si tempus est diuturnum; et opinio aliorum, quod quantumlibet temporis pravum propositum duret, actus non interruptuntur, est contra communem sententiam, quare id mihi non videtur probabiliter. Quodnam autem tempus judicandum sit longum in hac materia, p. Concina putat unum diem; Roncaglia duos, alii quatuor, aut quinque; ego autem sentio posse idem pravum propositum duos, aut tres dies perdurare, sed non amplius; dum existimo concupiscentiæ sive passionis vehementiam (regulariter loquendo) difficulter ultra duos, aut tres dies posse persistere. Quare dico quod si pravum propositum præcedat actum duobus aut tribus diebus, potest accipi pro uno peccato una cum actu externo consummato. Sed si quis perseverat diutius tribus diebus, ille debet explicare tempus: et tunc confessorius accipiet in confuso numerum actuum eo tempore interruptorum per quamlibet morulam somni, cœnæ distractionum, etc. prout sunt coram

(1) Vide lib. 5. n. 37. — (2) Lib. 5. n. 38.

Deo, tunc utendo prima opinione Vasq. etc. nempe actus internos per quamcumque morulam semper interrompi (1).

61. Advertendum nihilominus, hoc non procedere cum actus voluntatis qui proficiscuntur a primo pravo proposito, perdurant in aliquo effectu, qui conducit ad perficiendum unum dubitaxat peccatum externum; quia tunc quantumcumque temporis perduret prava voluntas, illi actus unum constituunt peccatum. Hinc qui proponit occidere inimicum suum, et ideo parat arma, insidias struit, et postea eum occidit: licet tunc plures et plures dies reiteret actus suæ pravæ voluntatis, unum peccatum committit: ita omnes dd. cum s. Thoma (2). Ita etiam fur unum peccatum committit, si ipse semper perseverat (licet diutius) in sibi proposita a principio voluntate furandi, vel non restituendi; quia in illa voluntaria et nunquam retractata retentione virtualiter durat in effectu prima voluntas, ut valde probabiliter docent Nav., Lugo Sairus, Trull., p. Nav., Roncaglia, Diana, Malder. et Salmant. (contra Suar. Bonac., etc.) Recte tamen advertit Diana, quod si fur aliquando sit impotens restituendo, et postea iterum fieret potens et non restitueret, tunc novum committeret peccatum; tunc enim tempore impotentiae non perseveravit in effectu voluntas non restituendi (3).

62. Hoc quoad actus internos peccatorum, quæ externe perficiuntur. Quoad autem ipsos actus externos, isti tunc moraliter interrumpuntur, cum non respiciunt aliquem actum completum, v. gr. si quis pluries percutit inimicum, non habens animum eum occidendi, tunc omnes illæ percussiones sunt distincta peccata, quia quilibet actus habet suam distinctam malitiam. Idem dicendum de tactibus turpibus, sine intentione cœundi adhibitis. Contra advertendum, quod bifa-

(1) n. 39. — (2) In 2. dist. 42. q. 1. et 1. — (3) Lib. 5. n. 40.

riam actus externi uniuntur, et unum constituunt peccatum: i. si procedunt ab ipso impetu, cum quiseodem iracundiæ tempore pluries blasphemant, injuriis aliquem afficit, percutit, aut detrahit, sive eadem concupiscentiæ vehementia pluries turpiter tangit; ita communiter Nav., Less., Castropal., Bonac., Concina, Viva, Salmant., etc. 2. Si actus externi moraliter ordinentur ad idem peccatum consummandum, prout qui accipit arma, inquirit inimicum, et postea eum occidit. Item si quis ad copulam consummandam, præmittit verba, oscula, etc. Itaque tunc sufficet tantum explicare commississe homicidium, aut copulam. An autem explicandi sint tactus statim copulam subsequentes? Respondetur probabiliter negative; semper ac tactus (et idem est de complacencia, quæ habetur de copula) statim post copulam habeantur, et non dirigantur ad novam copulam; quia tunc vero similiter tactus illi adhibentur ad primæ copulæ complementum (4). Sed hic notandum cum p. Viva, et communi (ut ipse asserit) omnia media externa adhibita ad exequendum peccatum, prout sunt tactus et verba obscœna, ac etiam iter susceptum, ascensus in domum meretricis, parare arma ad vindictam, et hujusmodi, omnia hæc explicanda sunt in confessione tamquam peccata distincta numero; quando peccatum intentum executioni non mandatur; quia illæ actiones jam externatæ omnes informantur a malitia pravi finis (5).

63. Quæritur, si quis habens animum suscipiendi 100 aureos, centum vicibus suscipere, quot peccata committit? Lacroix putat centum peccata committere, quodlibet enim furtum suam propriam habet malitiam. Sed probabiliter Holzman sentit, satis esse confiteri furtum 100 aureorum, tamquam unum peccatum dum cæteri actus tendunt ad complementum furtum intentum. Si autem non est intentum ad centum, certe

(4) Lib. 5. n. 41. — (5) n. 42.

distincte explicanda sunt omnia furta gravia (1).

64. Hactenus de prima radice: loquamur de secunda, nempe de diversitate objectorum totalium. Quæstio est tamen inter dd. an per hanc radicem multiplicentur peccata, v. gr. si quis unico ictu sclopeti plures occidit, an committat plura peccata? Alii negant, ut Suar. Lugo Laym. Anacl. Viva, etc. sed nos cum Azor. Tournely Concina Salmant. Diana Croix, etc. et communi affirmamus, quia idem actus, sicuti potest continere plures malitias specie distinctas, ita pariter potest habere plures distinctas numero: et hoc etiam contra eandem virtutem; puta si conjugatus committit adulterium cum conjugata. Hinc dicimus plura committere peccata 1. Qui uno ictu sclopeti plures occidit homines; aut unica de tractione multos unius familiæ infamat: aut unico sermone pluribus est scandalo. 2. Qui unica vice furatur a pluribus, sed hoc non intelligitur, si furaretur bona monasterii, aut capituli, quia ea bona pertinent ad communitatem, non vero ad particulares. 3. Qui unico actu voluntatis proponit plures dies omittere officium, aut jejunium; aut malum optat pluribus, vel cupit ad plures feminas accedere, aut pluries ad eandem, fortius si pluries successive cum aliqua rem habet (2).

65. Si autem aliquis negat plures Fidei articulos, unum committit peccatum; nam cum unum sit objectum Fidei, nempe veritas Dei revelantis; æque infidelis est, qui unum articulum negat, ac qui omnes. Ita pariter qui coram pluribus alicui detrahit, probabile est cum Azorio Molina Lugo, etc. (contra Lacroix) unum peccatum committere dum unicum est apud omnes jus ad famam. Item qui plura mala exoptat inimico, v. gr. infamiam, mortem, etc. sed sub una mali ratione ea apprehendit, nempe ut media ad illius perniciem, (1) n. 44. — (2) Lib. 5. n. 46.

probabiliter cum Cajet. Lugo Valent. Bonac. Croix, etc. committit unum tantum peccatum, et ei satis est confiteri: *Exoptavi grave malum proximo*: sed qui efficaciter optasset in suum inimicum diversa mala inferre, aut optasset specificè et in particulari ut prædicta mala illi acciderent, tunc debet omnia illa distincte confiteri, quia illa sunt diversa peccata (3). Dicunt Salmant. Viva et Lugo cum aliis confessarium, qui est in peccato mortali, plures successive absolventem, unum committere sacrilegium. Sed nos dicimus cum Bonac. Escobar, Concina Tournely Croix, etc. tot sacrilegia, quot sunt personæ, quas absolvit, quia quælibet absolutio est distinctum Sacramentum. Secus autem et non improbabiler dicunt Filiuc. Viva Busemb. et alii de sacerdote in peccato existente, qui pluribus ministrat Eucharistiam, cum una sit tunc administratio, et unum convivium (4). Quot autem peccata committat, qui celebrat Missam in peccato, vide *append.* 3. n. II.

PUNCTUM IV.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI

66. *Effectus mortalis et venialis.*
67. *Quot modis mortale fit veniale.*
68. *Quot modis veniale fit mortale.*
69. *Quid si in periculum probabile de mortali quis se exponat.*

66. Peccatum mortale est illud, quod privat hominem divina gratia, quæ est animæ vita, et ideo dicitur mortale. Veniale est, quod non privat gratia, sed minuit charitatem, non quidem Dei erga nos, sed nostram erga Deum. Admonet confessarios s. Antoninus, ne damnent aliquem peccati mortalis, nisi habeatur auctoritas expressa sacræ Scripturæ, aut canonis, aut determinationis Ecclesiæ, vel evidens ratio. Quare ait Sanctus ex d. Thoma, in grave periculum peccandi se conjiciunt, qui sine

(3) Lib. 2. n. 30. v. 4. In confess. et 1. 5. n. 50. v. Quær. 5. — (4) Lib. 5. n. 50. v. Quær. 6.

certitudine facilius actiones damnant de peccato mortali in talem conscientiam ponendo poenitentes (1).

67. Quæritur 1. quot modis peccatum, ex genere suo mortale, fieri potest veniale? Tria requiruntur ad peccatum mortale: gravitas materiae, plena advertentia intellectus, et perfectus consensus voluntatis; et ob aliquem horum defectum mortale fieri potest veniale. Et 1. quoad materiam, ejus gravitas consideranda est non solum in se, sed etiam ex circumstantiis ex toto, et ex fine intento. Quapropter non datur pravitas materiae, ubi parvitas non minuit offensam, uti accidit in infidelitate, simonia, perjurio, vitio turpi, etc. Præterea advertendum, materias parvas reiteratas tunc constituere materiam gravem, cum ex se, aut saltem moraliter in se coalescunt; ut sunt furtula, parvæ omissiones in officio, in missa, aut comestiones modicæ in jejuniis eodem die repetitæ. 2. Quoad advertentiam, potest excusari a mortali semidormiens, aut semidistractus, aut qui subita et vehementi turbatione ita corripitur, ut nesciat quid agat. 3. Quoad consensum, notetur quod hic non est supponendus perfectus ad peccatum mortale in iis, qui spiritualem agunt vitam, et meticulousæ sunt conscientiæ, semper ac certi non sint de consensu (2).

68. Quæritur 2. quot modis contra veniale possit transire in mortale? Respondetur quinque: 1. Ratione *finis adjuncti*, qui ex se sit mortalis, v. gr. si quis dicat verbum leviter inhonestum, sed sine proximum trahendi ad culpam gravem. 2. Ratione *finis ultimi*, et est, cum quis agit aliquid ex se non mortale, sed ea animi adhesionem, ut potius sit paratus ad præceptum grave transgrediendum, quam illud omittere: v. g. si quis die festivo sit paratus potius ad omittendum Sacrum, quam ludum.

(1) Lib. 5. n. 52. circa fin. v. Bene hic. — (2) Lib. 6. n. 476. v. Item, et 4. 5. n. 53. ad 58.

Sat tamen tunc erit, si confiteatur tantum voluntatem omittendi Sacrum.

3. Ratione *contemptus formalis legis*, aut legislatoris, ut docet s. Thomas (3), cum aliquis ex proposito legem (etiamsi humanam) transgreditur, quia non vult ei se subicere: aut ideo superiori non obedit, quia illi non vult subicere; si autem nolle superiori obsequi, aut ex passione; aut quia res est parvi momenti, tunc ait s. Doctor non peccat ex contemptu, etiamsi peccatum reiteret. 4. Ratione *scandali* respectu pusillorum, ut in *Tractatu sequenti* n. 28. 5. Ratione *periculi proximi* in culpam gravem labendi (4).

69. Nonnulli AA. dicunt, quod si quis se exponit periculo tantum probabili labendi in mortale non peccat graviter semper ac sit etiam probabile quod non cadat. Sed hæc opinio rejicitur a Carden., Busemb., Croix, etc. quia si nobis nefas est uti opinione probabili cum periculo facti de damno alterius, ut dictum est *Tract. 1. n. 21.* quanto minus possumus ea uti cum periculo propriæ animæ? Tunc lapsus licet sit incertus, certum tamen est periculum. Hoc intelligitur quod peccat graviter, qui se exponit periculo sine justa causa; hoc enim non currit juxta communem Nav., Roncag., Hurtad., Salmant., Elbel, etc. de eo qui ex necessitate se exponit (ut dicitur de chirurgo et parrocho *Tract. 9. n. 34. de sexto præcepto*); quandoquidem tunc periculum ex proximo fit remotum, tum propter necessitatem, tum propter media præservativa quæ debet adhibere in hujusmodi occasionibus: nam licet nemo excusetur, etiamsi velit eadem media adhibere, qui præcisa necessitate se exponit periculo, attamen bene excusabitur, qui illi ex justa causa se exponit, dum huic, non autem illi in occasione auxiliaturus erit Deus, qui indigentibus, non temere agentibus opitulatur (5).

(3) 2. 2. q. 486. a. 9. ad 3. — (4) Lib. 5. n. 59. ad 63. — (5) Lib. 5. n. 63. Quær hic.

TRACTATUS IV. DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS.

1. ad 5. De Fide.

6. ad 8. De Spe.

9. ad 12. De Charitate.

13. Actus exercendi circa virtutes theologales.

1. Ad primum præceptum primo spectant virtutes theologales, quæ sunt Fides, Spes, et Charitas. De singulis seorsim. Et I. Fides definitur: *Est virtus theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum ob divinam veritatem omnibus, quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit.* Dicitur 1. *Virtus theologica*, id est, Deum respiciens, quia Fides, sicut etiam Spes et Charitas directe respiciunt Deum ad differentiam virtutum moralium, quæ illum indirecte respiciunt. 2. *A Deo infusa*, quia Fides est donum Dei supernaturale. 3. *Inclinans nos ad firmiter credendum*, nam assensus Fidei non potest esse cum formidine, ut volebat prop. 4. ex damnatis ab Innoc. XI, sed debet esse firmus. 4. *Ob divinam veritatem*, cum infallibilis veritas (quæ est ipse Deus) sit objectum formale Fidei. 5. *Omnibus, quæ Deus revelavit*, cum omnia a Deo revelata sint objectum materiale Fidei. 6. *Et per Ecclesiam nobis credenda proposuit*, quia divina revelatio nobis non manifestatur, nisi per Ecclesiam, quæ eam proponit; est enim evidens per signa credibilitatis (quæ sunt prophetiæ, miracula, martyrum constantia, etc.) Ecclesiam non posse falli, nec fallere. Quare aiebat s. Augustinus: *Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas.*

2. Itaque objectum materiale Fidei (nimirum id quod credere debemus) præcipuum est Deus, et inde cætera omnia a Deo revelata, ut dicitur Tho-

mas: *Fides quæ hominem divinæ cognitioni conjungit per assensum ipsum Deum habet sicut principale objectum, alio vero sicut consequenter adjuncta.* Objectum autem formale (sive motivum quo debemus credere) est Dei veritas. Quæstio tamen est inter scholasticos, an revelatio etiam sit objectum formale Fidei? Juvenin, et alii dicunt Dei veritatem esse objectum formale quod, sive rationem præcipuam, in qua fundatur Fides. Revelationem autem esse objectum formale quo, nempe medium, quo nos credimus. Sed communior sententia, quam tenent Habert, Gotti et Holzman cum Scoto, etc. vult objectum formale Fidei esse veritatem Dei, et revelationem esse tantum conditionem, qua nobis applicetur notitia eorum, quæ credimus.

3. Sed deveniamus ad ea, quæ nostri insituti laboris intersunt. Altera sunt præcepta explicite credenda de necessitate mediæ, altera de necessitate præcepti. Nulli dubium est, quin explicite de necessitate mediæ credenda sint, Deum esse, et remuneratorem esse boni, et justum vindicem mali. Quoad autem mysteria sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis, et mortis Jesu Christi, licet adsit sententia probabilis pro utraque parte, an debeant credi est necessitate mediæ, an præcepti; attamen certum est ex prop. 64. ex damnatis ab Innoc. XI. non esse absolutionis capacem, qui ignorat ea mysteria, aut quia agitur de valore Sacramenti, aut quia agitur de mysteriis longe maximis, et momenti valde gravis, ut credantur, ad salutem æternam consequendam, ac edoctu ita facilibus, ut sine magna difficultate ea addiscere possit poenitens, antequam absolutione sacramentali donetur. Sed ratio potior est, quia poenitens Sacramentum Præ-